

CCXL.

Anno 1724. die 19. Aprilis. Viennae.

Carolus III. Rex a SS. et OO. Regni Croatiae, et Slavoniae
militare subsidium 24.000 flor. petit.

CAROLVS Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper
Augustus &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij et Nobiles, fideles nobis Dilecti. Relata sunt nobis ea, quae ad postulatam nostrum adhuc decima quarta Julij anno abhinc superiori ad vos emanatum de pendenda viginti quatuor mille florenorum Contributionis Summa, vel ejus loco recipiendo in Regnum alendoque aequiparanti militum numero tam antehac respondistis, quam nuperrime Commissioni ex Consilio Nostro Aulae Bellico, uti et Camera Nostra Aulica ac Cancellaria Hungarica aequae Aulica conjunctae per Deputatos e gremio vestro repraesentastis; quorum etiam intuitu atque ex singulari, qua Charissimum Nostrum haereditarium Croatiae Regnum semper complectimur benevolentia, quoad per publicas rationes fieri potest, vobis gratificari volentes, ad demissam vestram deprecationem benigne in eo condescendimus, ne quae militia Nostra illac dirigatur et actualiter illocetur. Quoniam autem jam per aliquot annos ab hybernio omnique alio tributo, cui omnia caetera Nostra haereditaria Regna et Provinciae subiacebant, et adhuc dum subjacent, soli vos immunes eratis, sic jam eo magis inhaeremus praefatae Resolutioni Nostrae quoad alteram partem postulati Nostri alternative vobis intimati, ut nempe, quod respectu reliquarum ditionum Nostrarum valde exiguum est, dictam viginti quatuor mille florenorum Summam pro currenti hoc anno contribuatis. Quo vero ipsa haec praestatio vobis tantominus graviter accadat, benigne pariter annuimus, ut uterque Generalatus Varasiniensis et Carlostadiensis, uti et Cameralia Nostra bona intra Regni limites sita, in partem oneris ita veniant, ut memorata viginti quatuor mille florenorum Summa in quinque partes dividatur, et signanter tres quintalitates a Charissimo Nostro Croatiae Regno simul cum dictis Nostris bonis Cameralibus, alterae duae quintalitates vero a praefatis ambobus Generalatibus eo promptius pendantur, cum id ipsum quantum Legioni Nostrae Dimacharum Wirtenbergianae in partem obvenientis eidem alimentationis assignatum jam sit. Confidimus proinde in cognito vestro zelo ac devotione, vos ad exemplum aliarum omnium Provinciarum Nostrarum haereditarium id absque haesitatione alacriter praestatueros, unde Nobis Servitium singulariter acceptum exhibebitis. Qui porro vobis gratiam Nostram Caesareo-Regiam clementer rursus confirmamus. Dabantur in Civitate Nostra Viennensi die decima nona Mensis Aprilis, Anno Millesimo Septingentesimo vigesimo